

phetae et reges voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt, et audire, quae auditis, et non audierunt».

*Parabola Samaritani misericordis: 10,25-37*

(25-28: Mt 22,35-40 Mc 12,28-31)

18.18 **25** Et ecce quidam legis peritus surrexit tentans illum dicens: «Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo?». **26** At ille dixit ad eum: «In Lege quid scriptum est? Quomodo legis?». **27** Ille autem respondens dixit: «*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis et ex omni mente tua et proximum tuum sicut teipsum*». **28** Dixitque illi: «Recte respondisti; hoc fac et vives». **29** Ille autem, volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: «Et quis est meus proximus?».

Lv 19,18

Mt 5,43

R 13,9

G 5,14

Lv 18,5

Lv 19,16-18

**30** Suscipiens autem Iesus dixit: «Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum et, plagis impositis, abierunt, semivivo relicto. **31** Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via et, viso illo, praeterivit; **32** similiter et Levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit. **33** Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum et videns eum misericordia motus est, **34** et appropians alligavit vulnera eius infundens oleum et vinum; et imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum et curam eius egit. **35** Et altera die protulit duos denarios et dedit stabulario et ait: "Curam illius habe, et, quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi". **36** Quis horum

25 illum] *add.* et W S V • 27 autem *om.* W S V | ex<sup>1-4</sup> *om.* Wi | omni] tota Wi  
• 30 suscipiens] suspiciens St • 31 autem *om.* G

trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?». **37** At ille dixit: «Qui fecit misericordiam in illum». Et ait illi Iesus: «Vade et tu fac similiter».

*De Maria et Martha: 10,38-42*

(38-42: J 11,1; 12,1-3)

**38** Cum autem irent, ipse intravit in quoddam castellum, et mulier quaedam Martha nomine excepit illum. **39** Et huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. **40** Martha autem satagebat circa frequens ministerium; quae stetit et ait: «Domine, non est tibi curae quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adiuvet». **41** Et respondens dixit illi Dominus: «Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima, **42** porro unum est necessarium; Maria enim optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea».

*Oratio dominica: 11 1-4*

(1-4: Mt 6,9-13)

**11** Et factum est cum esset in loco quodam orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis eius ad eum: «Domine, doce nos orare, sicut et Ioannes docuit discipulos suos». **2** Et ait illis: «Cum oratis, dicite:

36 ~ tibi videtur E • 38 cum autem irent] factum est autem dum irent et W S V | illum] add. in domum suam W S V • 41 erga] circa W • 42 enim om. W S V  
¶ 11.1 ~ quodam loco V | ~ docuit et Ioannes L P Si C; docuit Ioannes G Co E Wi St